

NATVS EX SPONSA
SVCCESSIONIS IN FEVDO
EXPRS.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,

Q. V. A. M.

CONSENSV ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM
ORDINIS,

PRAE SIDE

JOHANNE MATTHIA MARTINI,

I. V. D. ET P. P. O.

SERENISSIMI DVCIS MEGAPOL. A CONSILIIS IYSTITIAE,
ORDINIS IVRIDICI SENIORE,
ET HOC TEMPORE DECANO,

PRO

SVMMIS IN UTROQUE IVRE HONORIBVS
CONSEQUENDIS,

DIE IX. MARTII MDCCCLXXXIX,

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT.

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPH CHRISTIAN DABELOW,

I. V. C.



BVETZOVII, MDCCCLXXXIX,



NATVS EX SPONSA
SUCCESSIONIS IN TEBUDO

EXTRACTUS

DISSERTATIO IN VAGINATE & IN RIBICIS

CONCERNENTE AERIS & VITRIOLIS SULPHURIS

ORIGINIS

CHARACTERIS

MARITIMA MAREM

2

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

EX CAVAS & MARITIMA

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

EX CAVAS & MARITIMA

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

EX CAVAS & MARITIMA

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

EX CAVAS & MARITIMA

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS


CHARACTERIBUS

EX CAVAS & MARITIMA

ANALYSES & VITRIOLICIS VITRIINIS

CHARACTERIBUS





NATVS EX SPONSA,
SVCCESIONIS IN FEVDO EXPERS,
DISSERTATIO.



§. I.

SVCCESIO FEVDALIS LEGITIMA ET QUI BVS COMPETAT.



Successio feudalis *juris communis*, s. *legitima*, s. *in specie*, s. *simpliciter*, dicitur, si feudum devolvitur ad eos, qui jam in investitura primi acquirentis comprehenduntur sūnt¹⁾. In qua cum jure communi non comprehensi praesumantur, nisi primi acquirentis descendentes legitimi in infinitum, iisque feudorum capaces, ad eos tantum spectet successio feudalis *legitima*, vique illius in feudo succedant, necesse est²⁾.

1) Opponitur hoc sensu successioni feudalī speciali, quae innititur investiture cum simultanea cum eventuali. Conf. G. L. BOEHMER pr. *jur. feud.* §. 154.

- 2) II. F. IX pr. I. F. 14. S. I. Hinc nulla est ascendentium sive collateralium primi acquirentis in feudo successio, nisi ea specialiter in lege investiturae fundata comprehendatur. I. F. 8. §. ult. I. F. 20. II. F. 50. Inde venit, ut in iure feudali Longobardico, descendentes tantum proprie heredes feudales appellantur, nec hoc nomine, nisi rarissime agnati obveniant. B. G. STRV element. iur. feud. p. 141. De ZWIERLEIN Nebenst. p. 44. seq.

§. 2.

SPECIALIS EIVS RATIO.

B 3297 Y 7 R 142
Ratio hujus successionis in promptu est. Vivere enim existimantur in liberis suis bene meriti, et conservatur in illis tum praecclare gestorum memoria, tum nominis splendor. Hincque factum est, ex quo tempore feuda cooperunt esse in heredes tralatitia, et hodierna eorum forma effecta est 3), ut in inuestitura eius cui primo feudum erat constitutum, simili descendentes ejus comprehensi jure praesumantur 4).

- 3) L. F. I. GRVB diss. de fatis ordinis succedendi in feuda legitimi, Stuttg. 1779.

- 4) Lieet eorum in litteris investiturae, non specialiter mentio facta sit. Exceptio tamen se exserit in quibusdam feudorum speciebus, quibus in constituendis vel ad fidem certae personae respicitur, vel dominum sigillatimi feudum alicui tanrum praebere voluisse adparer. Conf. I. L. VHEIT diss. de feudo ad heredes feudales non traescente, Francf. 1756.

§. 3.

LEGITIMA REQVIRITVR NATIVITAS.

Non tam omnium, qui a primo feudi acquirente sanguinem trahunt, una eademque est conditio, atque ad feudum adspirandi facit

facilitas. Alii enim ob nativitatem, alii ob incapacitatem ⁵⁾ a successione feudali removentur. Missis iis, quae de incapacitate dieenda sunt, cum ad nos pro praesenti non spectent, ortum modo eorum, qui ad successionem feudalem legitimam vocantur, paulatim inspiciamus. Monuimus §. 1, descendentes *primi acquirentis legitimos tantum*, ad successionem feudalem vocari. Legitimi vero dicuntur, qui in matrimonio sive concepti, sive editi sunt ⁶⁾. Matrimonium enim solummodo legitimum efficit consortium, atque nativitatem a legibus approbatam constituit, omnesque qui matrimonio non debent originem, illegitimi, id est ex consortio legitimo non orti, audiunt ⁷⁾. Cumque ex principiis iuris clientelaris legitimi solum primi acquirentis descendentes, ad successionem feudalem vocentur, legitimi vero sine praevio matrimonio ex legum dispositione cogitari nequeant; sequitur etiam eam appetere non posse, nisi qui ex justo atque legitimo connubio a primo feudi acquirente descendunt, et arceri ab ea, qui extra illud originem trahunt. Requiri itaque ad legitimam nativitatem ejus qui ad feudum adspiratur est, ut siue in legitimo matrimonio conceptus, sive in eo natus sit hinc facile colligitur ⁸⁾. Nec poterit tibi mirum videri, illegitimos omnes a successione feudali esse exclusos, accuratis omnia consideranti. Cum enim in constituenda causa in feudis hereditaria, potissimum splendor familiarum concernatur, isque non, nisi in liberis ex legitima conjugatione descendantibus conservatus intelligatur ⁹⁾, cum hi solum digni existimantur nomine, et nobilitate paterna, omnes quoque illegitimi a successione feudali removeantur, necesse erat, cum per eos id non possit effici, quod re ipsa per translationem feudi in heredes intendebatur.

- 5) Ob incapacitatem a feudo arcentur foeminae, clerici etc. vide G, L.
BOEHMER l. c. §. 124. et 128.
- 6) L. 4. D. de suis et legit. L. II. C. de nat. lib.
- 7) L. 19. D. de statu homin. L. 9. et 22. C. de nupt. HELLFELDT in
jurispr. for. §. 116.
- 8) Posthumum ad successionem feudalem hodie quoque admittendum esse,
modo intra tempus a lege definitum lucem adspicerit, egregie pro-
batum dedit. I. C. G. REINHARD de jure posthumi in F. Vi-
temb. 1777.
- 9) L. 19. de statu homin.

§. 4.

a) IVRE FEVDALI LONGOBARDICO.

Conspirat his quae §. antecedenti de legitima eorum nativitate,
qui ad successionem feudalem vocantur, monuimus. Ius feudale
Longobardicum, cui ex subsidiaria in germania receptione insisten-
dum est. Undique enim illud, si de successione feudali legitima
quæratur, filios, eosque legitimos tantum, heredes et successores
feudales vocat¹⁰). Legitimorum vero nomine, non nisi ex justo,
ataque legitimo matrimonio ortos, obvenire, supra dedimus proba-
tum. Nullibi vero me judice disertius mens juris feudalis Longobar-
dici exprimitur, quam verbis: „*Naturales filii licet postea fiant legiti-
mimi ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur II.*“
Excludi his, a successione feudali, omnes qui extra matrimonium
nativitatem repetunt, nemo certe inficias ibit, cui attenta tantum
mente sensum legis inquirere contigit. Cum enim naturales maxi-
mum semper, inter reliquos illegitimos in jure favorem habuerint,
iisque expressim a successione feudali removeantur, quid de aliis ille-
gitime natis sentiendum sit, facile perspicitur, quamvis eorum non
specia-

specialiter mentio facta sit. Vi enim legis modo recitatae, matrimonium tantum, tanquam fons legitimae nativitatis assumitur, et omnes ei originem non debentes, ad illegitimos rejiciuntur, iisque successio feudalis denegatur. Nec sufficere, ut quis posteriori tempore jura legitime natorum accipiat, iisque perfruatur, probant verba: *tacet posse a fiant legitimi cum in successore feudali, ut ea vi nativitatis jam habeat, necesse sit, quae modo ex justis nuptiis exspectanda sunt* ¹²⁾. Et vitium maximum sane incurrerem, verbum naturales, ad natos ex concubina solummodo restringens, eosque a successione feudalii excludens, eum ex eo omnes reliquos illegitimos ad illam vocari, necessario deberet sequi ¹³⁾. Sustinetur inde quam optime principium supra expositum, non succedere posse in feudo nisi ex legitimo matrimonio ortum, nec est ut anxie verba curemus, cum sensus legis clare constet. Monente enim CELSO, „*in ambigua legi voce, ea potius accipienda est significatio, quae virtio caret, praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit* ¹⁴⁾.“

10) II. F. II. §. I. II. F. 13.

11) II. F. 26. §. 10. HORN jurispr. feud. c. XV. §. 3.

12) Patet ex eo, nec legitimatos per rescriptum principis; nec per subsequens matrimonium in feudo succedere posse, cum originem suam ex legitimo matrimonio repetere nequeant. BAVER de successione legitimatorum per nuptias exule in feudis, Lips. 1768. SCHORCHT von der Unfähigkeit der Mantel-Kinder zur Lehnsholze, Ieu. und Leipz. 1780. PÜTTMANN elem. Jur. feud. §. 315.

13) WIESAND de ejus qui ex sponsa natus est, succ. in feud. §. 8.

14) L. 19. de LL.

§. 5.

§. 5.

b) IVRE FEVDALI GERMANICO ANTIQVO.

Iis quae jus feudale Longobardicum de nativitate eorum, quibus successio feudalis conferatur, statuit, consentit quoque jus feudale germanicum antiquum. Quod, quamvis, hodie vi legali haud amplius pollere, cordatores nostrae aetatis jureconsulti afferant 15), hoc tamen loco et ad illustrandam successionem feudalem erit inspicendum, eum feudorum origines germanicas esse, extra omne dubium sit possum. Magnopere autem a primo aevo, cassis germanos studuisse moribus, auctorem habemus *Tacitum* 16), cui primum majorum nuntium grates debemus. Cumque infesto semper odio prosecuti sint illegitime natos, quid mirum, si a successione feudali imprimis eos arcuerint, cum speciali illa, conservationi scilicet splendoris familiarum, innitatur fundamento. Liceat mihi, cum ad illustrandam faciant, quam deinde tractabimus materiam, quae dam juris feudalii germanici antiqui capita huc praesertim spectantia, recitare. Sic coercentur a successione feudali, jur. fax. feud. 17). „Alle die Rechts darben, oder unecht gebohren sin,“ cui respondet jus feud. Suev. 18) verbis: „und die nit ehelich gebohren sint, die sollen alle nit Lehnrehtz haben. Item Aut. vet. de benef. 19) et iure carentes et in fornicatione nati carent jure beneficiali,“ odium ergo illegitime natos satis superque prodit.

15) III. SCHNAUBERT Erläuterung des in Teutschl. übl. Lehrer, § 30. ibique alleg.

16) de mor. Germ. §. 18. et 19.

17) c. 2.

18) l. I. §. 4.

19) §. 4.

§. 6.

5. 6.

RESPONDENT HVIC ETIAM LITTERAE
INVESTITVRÆ.

Ut ea quae de legitima nativitate ad successiōēm feudalem modo apta, tum ex speciali feudorum natura colliguntur, tum legibus sanctis reperiuntur, firmius adhuc sustineantur, studet litteris investiturae vulgo inserta formula: „für sich und seine ehelichgebohrne Leibes-Lehns-Erben.“ qua in superfluum adhuc, ne illegitimi ad feudum adspirent, prospicitur. Cum enim in controversiis quas super feudum oriuntur, litterae investiturac, tamquam pacium inter dominum, et vasallum semper primo inspicienda sint, ex iisque ratio decisionis peti debeat, sequitur etiam maximi cas esse ponderis, cum de successione feudali quaeritur, quam ibi determinatam invenis ²⁰⁾. Quid vero ex formula modo recitata aliter potest erui, ac feudum vasallo, et legitimis ejus descendentibus tantum concessum esse, cum vocabulum *ehelichgebohren*, non nisi justum, atque legitimū matrimonium substituat, nec sine illo intelligi possit. Exhibitetur hic iterum successorem feudalem debere esse legitime natum, aus der Elie gebohren, nec sufficere, eum iuribus legitime natorum ex subsequenti indicium esse, daß ihm die Rechte der ehelichgebohrnen erst in der Folge beygeleget worden, cum utrumque maximum hercule intercedat discrimen, et prius ob conservationem splendoris nominisque paterni in successore feudali absolute constet, necesse sit. Liberis enim legitime natis solummodo familia constituitur, atque augetur.

20) ВОЕННЫЕ л. с. §. 33.

§. 7.

M A T R I M O N I V M Q V I D ?

Probant quae hactenus breviter tantum, pro rei tamen cōpia explanavimus, non cōpētere successionem feudalem, nisi ei qui ex legitimo matrimonio a primo acquirente descendit, cum is tan-tum a lege legitime natus agnoscatur. Iam ipsam matrimonii defi-nitionem, et quae illud constituant, ambire juvat, ut eo facilius perspici possit, quis in legitima nativitate sit constitutus, quique ea careat. Ei enim, ut hoc accuratius determinetur, certique subdu-cantur limites, totius rei cardo innititur, alias enim res vereor, ne magis implicetur, quam explicetur. Et quidem matrimonium, accuratam definitionem curanti, obvenit, *a mare et foemina ad praescriptam a legibus formam, procreandae sobolis, et mutui adjutorii praestandi causa, initus contractus.* Sicuti vero in quo-libet contraclu, praescripta ei a lege forma servanda est, si ab eo efficius debet sperari, idem quoque in matrimonio accipendum est. Speculum itaque est, quae ex legali dispositione ad constituendum matrimonium expressim requiriatur, ab iisque modo valor matrimonii dijudicandus est 21). Conjunctio igitur maris et foeminae cui omnia a lege praescripta requisita accesserunt, legitimum matrimonium in genere, *eine gesetzmässige Ehe*, dicitur 22). Parit illud jura, legitimi thori, et natum in legitima nativitate constituit. Et cum legitima nativitas expressim penes successorem feudalem deside-retur, conspiciendum erit, an ex tali legitimo matrimonio prodierit, nec eum alia conjunctio, cui praescripta a lege forma non accessit, ad successionem aptum reddere potest, cum ea matrimonium non efficiatur. Sine legitima enim conjunctione nec vir nec uxor, nec matri-

matrimonium intelligitur, nec liberi nati legitimis poterunt adpellari 23).

21) in genere - dico, ceterum prout forma a Lege ecclesiastica sive civili praescripta est, matrimonium in ratum et legitimum dipescitur. Utique forma in matrimonio vero observanda est, ex coeque tantum successor feudalis legitimus descendit. SCHNAUBERT I. c. § 122. Vides itaque etiam ex matrimonio ad Legem morganaticam natum, ad successionem feudalem posse adspitare, cum illud verum sit matrimonium, nisi ex pacto effectus matrimonii civiles eg. intuitu successionalis rel. suulent sublati, sub quibus etiam jus succedendi in feudo comprehenditur.

22) Respiciendum hic est ad requisita matrimonii secundum Leges territoriali, in quo quis tempore contracti matrimonii commoratur. Matrimonium hic valide initum, undique pro eo habetur, omnius effectu fungitur, licet alibi alia ad illud constituendum forma requiratur. SCHOTT Ehrerecht §. 162. HOMMEL in rapsod. obs. 409

23) §. 12. J. de nupt.

§. 8.

D I S Q V I R I T V R,
AN NATVS EX SPONSA SIT LEGITIME NATVS?
QVOD NEGATVR.

Iam festinamus ad quaestionem quam paucis ventilare nobiscum constituiimus, an scilicet natus ex sponsa in feudo succedere possit, quae ut penitus evolveretur, quae supra exposui, videbantur necessaria. Ut a fronte rem aggrediar notio imprimis danda est, qui nati ex sponsa nomine significetur. Et quidem Romanis usitatus mos stipulandi, atque spondendi sibi uxores, sponsi, et sponsae nomen primo invenit 24). *Sponsus* enim dicebatur, qui ad futurum vitac

consortium sibi spoponderat uxorem, quae ex hac inde desponsatione sponsa audiebat. Quae denominatio, quamvis hodie omnis usus excesserit stipulatio, adeo tamen invaluit, ut penes nos adhuc sit receptissima, nonobisque *sponsi* et *sponsae* appellatione obveniant personae, quae de futuro matrimonio conciliando, convenerunt. Natus itaque ex sponsa vocatur, qui ex foemina, quae de futuro matrimonio contrahendo cum masculo convenit, in tempore sponsalia ipsumque matrimonium intercedenti natus est, ex anticipato cum sponso concubitu, durante enim hoc tempore sponsa modo potest cogitari.

24) L. 2 et 3. D. de Sponsal. GELLIVS in Noct. attic. L. IV. c. 4.
Bisson de formul. Pop. Rom. L. VI. c. 123.

§. 9.

D I V R E R O M A N O *

Iam ipsa, quam ɔpho antecedenti de nato ex sponsa dedimus, definitio rei quam optime conveniens, exhibet, nec tempore conceptionis, neque nativitatis ipsum jam exstitisse matrimonium, sed concubentes tantum de eo ineundo primum cogitasse. Legitimam itaque desicere nativitatem, quam matrimonium tantum operatur, facilime concluderes. Sed ut rem penitus exhaustiamus, varia ambire licet jura, anne ex iis possit erui, sive sponsalibus sive iis accidente concubitu matrimonium effici, et legitimam nativitatem constitui. Ut partum penitus absolvamus, primo juris romani praecepta paulo consideranda sunt, eo enim sponsaliorum nomen, atque origo petitur. Magnum apud romanos inter sponsalia, ipsumque matrimonium discriben fuisse, nec sponsalia ipsum jam constituisse matrimonium,

monium, jam exhibet legalis definitio, qua sponsalia mentio, et re promissio futurarum nuptiarum vocantur, atque ipsi matrimonio e directo opponuntur 25). Nil etenim sponsalia jure romano, nisi conventione, de ineundo futuro matrimonio erant, tantumque absuit, ut perfecta ad ipsum matrimonium ineundum producerent obligationem, ut potius ab iis resilire, alterique numero permisum esset 26). Cum enim docente Ulpiano 27) sponsalia spem tantum matrimonii facerent, nec illud ipsum jam constituerent, non potuit non, quin etiam sponsalibus ea non tribuerentur jura, atque effectus, quos ipsum modo matrimonium tribuit, licet ob spem futuri matrimonii, et ex pacto inter eos contracto, ad specialem sibi invicem fidem praestandam obstringantur despontati 28). Ipsum vero matrimonium pro diversa Populi Romani actate, variis modis contrahebatur. Ut enim apud plurimas gentes, matrimonium tamquam actus gravissimi momenti sub certis solemnitatibus ritibusque contrahebatur, sic quoque apud Romanos idem observatum fuisse indubitatum est. Quae vero ad valide constitendum matrimonium jure veteri romano fuerint necessaria, de eo non nisi perquam obscura ad nos fama pervenit 29). Nec in toto corpore juris romani quo adhuc utimur ea de re quicquam sancitum reperitur, nisi quod Iustinianus aliquot in locis praeterendo tantum ejus rei mentionem faciat. Missis itaque iis, cum nos non carent, quae jure romano noviori, ad valide constitendum matrimonium requirantur, paulatim inspiciemus. Et quidem jure noviori, ut efficetur matrimonium, juraque conjugum communicarentur, solus requirebatur affectus conjugalis, qui est de ipso matrimonio actu ineundo, declaratus consensus, et quod ab eo tempore contrahentes conjugum loco sibi invicem esse velint 30). Nusquam vero in jure romano de natis ex sponsa reperitur sancitum,

neque minus iis jura legitimae nativitatis indulgentur, cum tamen in codice romano tot reperiantur, atque innumerabiles casus decisi, quos in nullo certe alio invenies. Ratio mihi videtur in promptu esse; eum enim solus tantum affectus conjugalis invicem declaratus, in sensu juris romani matrimonium constitutat atque legitimam operatur nativitatem, et sine eo praecedente, congressus carnalis non, nisi illegitimos constitutat, eos quoque qui ex despontata sine conjugali affectu nati sunt, illegitimè natis annumerandos esse, afferere ausim. Fallere etiam eum qui per concubitum inter despontatos celebratum, matrimonii vinculum contractum esse, crederet, certissimum est, cum partim haec de re nil lege dispositum deprehendatur, partim quoque ex accidente sponsalibus concubitu affectus conjugalis non colligi possit, sed ad eum probandum aliis documentis sit inserviendum 31).

25) L. I. D de sponsal.

26) L. I. C de sponsal.

27) L. 21. C de sponsal.

28) L. 13. §. 3—8. ad L. Julianum de adulter. L. I. de his qui notant, infamia. Varia hinc nascuntur effectus, quod eg. despontati intuitu testimonii dicendi erga se invicem, habeantur suspecti, et cact. L. 5. D. de test. L. 15. §. 14. D. de injur. Confer, HELLFELDT Jurispr. for. §. 1207. seq.

29) Illustrant haec BRISSONIUS de veteri ritu nupt. in Gronov. thes. antiq. Greec. T. VIII. THOMASIVS de usu pract. doctr. Inst. de nupt. inserit. Dissertat. accad. T. III. diss. CI. DRAGHEIM de priscis Romanor. nupt. adornant. rit. Ged. 1731, et plures alii, quorum tamen, modo, citati, ad manus mihi fuere.

30) L. 22. C. de nupt. Nov. 22. c. 3. „Nuptias itaque affectus alterius facit, dotalium non egens augmento, cum enim semel concremerit sub puro affectu nuptiali.“ — Cum autem maxima ex eo in-

, certi-

ceteritudo oritur, ut sive a declarato coram presbytero ecclesiae,
et tribus saltem testibus consensu matrimoniali, sive a documentis,
nuptialibus initium matrimonii aestimatur edixit Justinianus Nov.
74 c. 3. Mox tamen cum haec iterum matrimonii requisita reli-
quisse, et ad priorem modum reversum esse, exhibet, Nov. 117. c. 4.
„Si etiam et hoc non custodierint, sed ex solo affectu celebratas
„nuptias firmas esse sancimus, et ex eis natos legitime filios esse
jubemus.

31) L. 32. §. 10. D. de donat. inter V. et V. Nov. 74. c. 5. Nec obstat
L. 22. de nuptiis, qua pro legirima nativitate natorum ex sponsa
egregie dissentientes utuntur, EISENHART de nato ex sponsa §. 3.
seq. Haec enim de vero matrimonio loquitur. Confer, BÜNE-
MANN de sponsae partu spurio, Goett. 1753.

§. IO.

IVRE GERMANICO ANTIQVO.

Quid majoribus nostris de nato ex sponsa visum, et an ei
legitimam tribuerint nativitatem, paucis jam consideremus. Res
gravissimi momenti apud eos inter pocula traictatas esse, eosque
tunc etiam de jungendis affinitatibus cogitasse, adfert nobis Tacitus 32).
Iuvenis dein cui ridebat puella, a parentibus atque propinquis ma-
num ejus petiit, quae ei concessa ab hoc tempore desponsata audie-
bat 33). Sanctissimum hocce promissum, nec alii de novo despon-
fare fas erat 34). Non tamen id ipsum jam matrimonium, longe
aliis auspiciis inchoandum, ut scilicet desponsata in praesentia paren-
tum atque propinquorum data inter invicem munera atque convivia
uxor a sposo accipiat 35). Quae tamen solemniter inchoantibus
matrimonium necessaria, pro moribus populorum germaniae diversa
fuerunt 36).

Riti-



ritibus, matrimonii ortus, ab his legitima proles. De fatis vero eorum qui ex sponsa nati sunt, nil in legibus veterum germanorum cautum reperitur, cui, quod sponsalia, ipsumque matrimonium vel parvum modo temporis spatium intervenerit, vel germanorum fatis laudata casitas, causa fuit, hincque lege sancire non fuerit necesse. Tantum interim ex odio germanorum erga omnes, qui extra matrimonium nascebantur, colligi potest, eos quoque natum ex sponsa obveniente casu, illegitimis annumerasse. Stat pro mea sententia Ius Sax. prov. 37) verbis: „Wenn ein Weib ein Mann nimpt, ge- „winnt sie Kinder, ehe die rechte Zeit kommt, da das Kind geboh- „ren werden mag, man mag es beschelten an seinen Rechten,“ quibus natis immo in matrimonio, modo ante definitum a natura tempus lucem adspexerint, jura legitimae nativitatis denegantur. Natis ex sponsa igitur, si qua tales germanis fuerint cogniti, duram admodum conditionem fuisse, nulloque modo pro legitime natis habitos, jam suadet a casitate germanorum, eorumque erga omnem libidinem odio desumpta ratio.

32) de mor. germ. c. 22.

33) Apud nonnullos quoque Germaniae populos, emtio uxoris in usu erat — der Braukauf ubi pro concessa virgine certa solvebatur pecuniae summa. GUNDLING de emtione vxorum, Halae 1722.

34) Capitular. L. 6. c. 91.

35) Tacitus l. a.

36) Apud Saxones concessione thalami adhuc opus erat; ad communica jura conjugum Jus Prov. Sax. L. 3. art. 45.

37) L. 1. T. 36. adde JULIAN. in epist. ad Max. p. 181. ubi modus Germanorum inveniendi traditur an nati in ipso matrimonio fuerint legitimi, id durante matrimonio concepti. Tantum enim iis, erga omnem libidinem odium ut alium non, nisi sub ipsius matrimonii auspiciis suscepimus concubitum tolerarent, et ita natos legitimos tan-

tum

et cum agnoscerent, HEINECCIVS in elem. jur. Germ. L. 2. Tit. 9.
§. 227. seq.

§. II.

III) IURE CANONICO.

Iure canonico sponsalia — futurarum nuptiarum promissio — definiuntur 38). Magnopere itaque distare ab ipso matrimonio, quod mutuo solum consensu matrimoniali, *Eheconsens* jure canonico contrahitur 39). Nil inde sistunt sponsalia nisi pactum de ineundo matrimonio praeparatorium, quo mutuo consensu mas, et foemina de conciliando futuro matrimonio convenient, qui consensus sponsalitius *Verlobungseinwillirung* dicitur, 40). Sed ut satis trita incedamus via, ambire hoc loco juvat divisionem juris canonici, qua sponsalia in sponsalia *de futuro* et *de praesenti* abeunt. 41). Aliter enim facillime obveniret dubium, ad rem plenarie perspiciendam, ante omnia removendum. *Sponsalia de futuro* vocantur pactum, quo de ineundo futuro matrimonio convenientur, eaque proprio significatu sponsalia audiunt. 42). *Sponsalia de praesenti* autem tunc adsunt, si simul cum consensu sponsalitio consensus matrimonialis declaratur. Hoc vero casu ipsum jam matrimonium valide contrahitur, cum ad illud sistendum consensu matrimoniali nil amplius opus sit 43). Consensus vero matrimonialis jure canonico dupli modo declaratus accipitur, si scilicet mas et foemina vel verbis de ipso jam matrimonio ineundo expressis convenient 44), vel factis se matrimonium inire exhibent. Posterior ex eo colligitur si despontati carnaliter junguntur, tantaque hinc nascitur vis, ut praesumtio juris et de jure, quod re ipsa matrimonium inter illos contractum sit, eo efficiatur, quae nullam contrarii probationem admittit 45).

C

autem

autem casu ipsum jam contrahitur matrimonium, et finis sponsalibus imponitur, ita ut antea desponsati conjugum loco sibi invicem esse censeantur. Et hoc spectant textus iuris canonici 46), in quibus iis, qui ex subsecuta sponsalibus de futuro carnali copula nascuntur, legitima nativitas tribuitur, cum ex copula carnali consensus matrimonialis sufficienter declaratus, ab eoque tempore vere matrimonium contractum existimatetur. Cum vero jure catholicorum ecclesiastico novo 47) concubitus sponsalibus de futuro accedens ea non immutet in sponsalia de praesenti, ipsumque matrimonium contrahat, sed ad illud constituendum requiratur, „consensus matrimonialis coram parochio competenti, et duobus testibus declaratus.“ Sequitur etiam cessare eas juris canonici dispositiones quae ex accidente sponsalibus de futuro conceperit natis, iura legitimae nativitatis tribuantur, cum cessante legis ratione, quod eo matrimonium contrahatur, ipsa lex debeat cessare. Perspicitur ex eo, natos ex sponsa jure catholicorum novo non agnisci legitimos, jure vero antiquo natum ex sponsa proprie sic dictum plane non existisse, cum sponsalibus de futuro accederis copula carnalis ea immutaverit in sponsalia de praesenti, ipsumque jam matrimonium contraxerit, natique ex iis ex vero matrimonio descendentes fuerint habiti.

38) C. 3. causs. 30. q. 5. C. 2. X. de spons.

39) C. 25. X. de spons. c. 14. X. de despns. impuber.

40) SCHOTT Ehreclt §. 141.

41) Origines hujus distinctionis uberior expositus J. H. BOERMER in jure eccl. protest. L. 4. T. I; §. 3. seq.

42) VAN ESPEN in jure eccl. P. II. T. XII. c. I.

43) Quae sponsaliorum de futuro et de praesenti notio, quamvis in Legibus quadam verba non deprehendatur, ex genuino tamen carum sensu colligitur. Confer. D. NETTELBLADT de genuina sponsal. de prae-

- præsenti et de fut. notione §. 13. seq. Sponsalia de præsecati quibusdam etiam textibus Juris canonici matrimonii uomine obveniunt. c. 31. X. de spons. c. 14. X. de convers. conjugat Distinguendum ramen est inter matrimonii contractionem, ejusque consummationem. Prius solo consensu matrimoniali sufficienter declarato, posterius vero accedente ei, vel benedictione sacerdotali, vel saltim copula carnali efficitur. VAN ESPEN I. c. c. IV. BOEHMER (Georg Ludw.) princ. Jur. canon. §. 345. Omnia eo redeunt, quia sacramentum matrimonii apud Catholicos solo contrahitur consensu. Hinc etiam omnia matrimonii jura sponsalibus de præsenti adhibentur. c. 34. X. de jure inrand. c. ult. X. de transact. c. 9. in f. X. de rest. in integr. 44) c. 9. et 31. X. de spons. c. 3. X. de spons. duor. NETTELBLADT I. c. §. 29. seq.
- 45) c. 30. X. de spons. NETTELBLADT I. c. §. II—40.
- 46) c. 30. X. de spons. c. 12. X. qui filii sunt legit. c. 25. X. de sponsal.
- 47) Concil. Trident. Sess. XXIV. de reformat. matrim. c. I. Ex hujus dispositione per concubitum sponsalibus de futuro accedentem, nulla major vis operatur. vid. PROSPER LAMBERTINI in inst. eccl. inst. XLVI. p. 131. seq. ubi decretum Congreg. Cardinal. de 1593 legitur.

§. 12.

IV) IURE PROTESTANTIVM.

Ius ecclesiasticum Protestantium cum jure Romano, et capitulo in eo convenit, quod sponsalia tantum tamquam de ineundo futuro matrimonio pactum accipiat, nupsiam vero illis jura veri matrimonii tribuat, neque minus iis Jure Protestantium matrimonium jam contrahatur. Cum enim Jure Protestantium ecclesiastico „per consensum matrimoniale, inter ipsum actum benedictionis sacerdotalis mutuo declaratum,“ matrimonium tantum constituatur, eaque

sub poena nullitatis matrimonii ad liberi debeat, 48) perspicitur etiam, ab eo tantum tempore matrimonium contractum existimari, ejusque effectus denuo currere incipere. Hinc, qui ex conjunctione, cui non accessit benedictio sacerdotalis nati sunt, illegitimi habeantur necesse est, cum ea tantum matrimonium constitutus, ex quo unice legitima nativitas exspectanda est. Nec a concubitu sponsalibus accedente validis, matrimonii ortum, et legitimam nativitatem repetere licet, cum despontati ante benedictionem sacerdotalem congregantes crimen anticipati concubitus incurvant, arque poenali judicio coercentur 49). Sponsalia quoque ex accedente concubitu non fieri indissolubilia, constat, quamvis in favorem partus, sponsus ad suscipiendam benedictionem interdum mediis coaclivis adigi possit 50). Haec vero omnia forent superflua 51) si sponsalibus accedente concubitu matrimonium jam constitueretur, quia tunc proles vi nativitatis esset legitima, et nulla prius benedictione sacerdotali opus 52).

48) Istud tum ex universalis observantia inter Protestantes receptum est, tum Legibus etiam provincialibus cautum reperitur, CARPOV Jurispr. Consil. L. 2. def. 142. BRUCHNER decif. matrim. c. 2. §. 18. c. 28. §. 9. BOEHMER d. c. 1. matrim. c. 2. §. 18. o. 28. c. 9. BOEHMER Jus eccles. prot. L. 4. T. 3. §. 45. BERGER in elect. proc. matr. th. [20]. Exceptio tamen reperitur in Hollandia ubi per relationem in das Ehebuch matrimonium constituent.

49) BOEHMER (Georg Ludw.) pr. jur. can. §. 373.

50) HOMMEL epitome facili jur. c. 53. §. 41. Plura de hoc vide apud Schott im Ehrerecht §. 151. ***

51) Colligitur ex his quid de opinione eorum sentiendum sit, qui sponsalia de praesenti in accedente validis sponsalibus concubitu apud Protestantes invenire suspicuntur. SCHOTT I. c. §. 144, cum nequidem ea apud Catholicos ex dispositione Concilii tridentini, tamquam iuris novioris amplius illo efficiantur. Caeterum si quoque consensu matri-

matrimoniali iater ipsam benedictionem sacerdotalem interposito, sponsalia de praesenti effici, cum Schottio l. c. acciperem, omni tamen illud usu, ob ignotum Protestantibus sacramentum matrimonii, Catholicis modo proprium, destitueretur. Cum enim sine benedictione sacerdoteli apud nos matrimonium statui nequeat, ex receptione divisionis Juris canonici in sponsalia de praesenti, et de futuro, nullum quoque commodum potest sperari. **N E T T E L B L A D T** saep. all. diss. §. 44 et 45.

32) Notandum est, apud Catholicos benedictionem sacerdotalem solemnitatis causa tantum accedere, matrimonio jam mutuo consensu matrimoniali eoram parocco et duobus testibus valide contracto, apud Protestantes vero eam esse necessitatis, nec sine illo matrimonium valide constitui. **SCHOTT** l. a. §. 162. **HOCCHMANN** de benedict. nuptiar. c. 6, §. 7.

§. 13.

INTERDV M TAMEN EI IVRA LEGITIMORVM
TRIBVVNTVR.

Cernitur ex his quae sp̄his antecedentibus exposui, neque sponsalibus nec iis accedente concubitu, legitimum illud consortium constitui, quod matrimonium vocatur, sed illud longe aliis auspiciis contrahi. Consectarium inde est, natos ex sponsa ad illegitimos debere referri, cum legitima non gaudeant nativitate. Apud Protestantes tamen ex speciali indulgentia receptum est, ut natis ex sponsa jura legitimorum scilicet intuitu successionis in bona patris tribuantur, si ob contumaciam sponsi absensis vel ejus mortem, aliumque casum fortuitum, matrimonium ipsum per copulam sacerdotalem constitui amplius nequit 53). Et quidem priori casu ad instantiam sponsae per sententiam a judice declaratur, legitimum ad fuisse matrimonium 54),

C 3

inde.

indeque tum sponsae jura uxoris, tum nato ex ea jura legitimè nato. rom adjudicantur, posteriori vero, infans pro legitimo saltē habetur 53). Notandum hic est, ex principiis Juris protestantium, non ipsum jam existisse matrimonium nec natum ex sponsa vi nativitatis jura legitimorum naclum esse, sed haec ei tantum ex aequitate tribui.

53) Observati illud ex Praxi in foris Protestantium praejudicio confirmat. E. F. P V F F E N D O R F obs. jur. univ. T. I. Obs. 210. In quibusdam etiam Protestantium territoriis specialiter in favorem nati ex sponsa sanctum reperitur eg. in Saxonia et Marchia. De Marchia vide Mandat. regium de 22. Febr. 1768. „In allen dergleichen Fällen, wo bündige Sponsalien celebriret werden, und die Schwängernng dazu gekommen, Sponsus aber nachher die Ehe nicht vollziehen will, kann nicht anders erkannt werden, als dennoch das matrimonium pro legitimo zu achten, und das erzeugte Kind für ein eheliches Kind zu declariren, etc. etc.“

54) Sic enim intelligi debet formula sententiae inserta — daß das matrimonium pro legitimo zu achten, alias enim oritur summa contradictione cum tamen re ipsa matrimonium non adfuerit. Originem huic dedisse mihi videtur erronea opinio, quod ex principiis Romanis concubitu sponsalibus accende matrimonium constitutum sit, eaque eo lubentius arrepta est, quo etiam sponsae jura uxoris tribui possint.

55) Aequitati illud innititur et praxi, nullo vero jure firmatur. Provocant quidem in foro ad tuendam hanc sententiam, et ne praegraves in judicando videantur. Jureconsulti ad L. 22. C. de nupt. et Nov. 117. ex iisque legitimam nati ex sponsa nativitatem probare volunt. Sed jam supra §. 9. probatum dedimus, eas Leges de ipso matrimonio loqui quod penes Romanos solo consentiu constituebatur. Fore quoque absurdum ad eas juris Romani dispositiones hodie provocare, et ex iis decisionem petere, cum longe alia requisita apud nos matrimonio accedere debeant, Romanis plane incognita. Idem quoque de textibus juris Canonici c. 12. X. qui filii sibi legit. et c. 30 X. de spons.

spons. dicendum, quibus ad descendendam legitimam nati ex sponsa
nativitatem firmiter solept inniti.

§. 14.

NEC TAMEN IDEO IN FEVDO SVCCEDVNT.

Vidissi hactenus quantum distet philosophia eorum a ratione
veri, qui natum ex sponsa legitime natum esse afferunt, eique pro-
bando partim a Legibus Romanis partim a textibus Juris canonici usu
deslitis, praesidium repetunt. Probatum equidem dedimus nullibi
natum ex sponsa tamquam legitime natum agnoscere, nec quidem ex
principiis Protestantium juribus legitimae nativitatis gaudere, sed his
tantum ex indulgentia, et aequitate a praxi introducta, indui. Sit
itaque ut ad successionem in bona patris properet, quis enim ideo
etiam ad successionem feudalem admittat? Exhibitent satis superque,
principia Juris feudalis §phis 3. 4. et seq. exposita, ad successionem
feudalem non admitti, nisi qui ex vero matrimonio descendit. Il-
lud vero cum sine forma a Legibus praescripta cogitari nequeat eaque
penes nati ex sponsa parentes defuerit, cum quoque successione feu-
dali carere certissimum est. Nec obstat nobis, quod illi jura legiti-
mae nativitatis tribuantur, cum tamen eo, in ipsa legitima nativi-
tate non constituantur, eaque in successore feudali absolute a Legibus
desideretur. Non enim potest fictione contenta esse successio feuda-
lis, qua natus ex sponsa, ac si ex ipso matrimonio prodierit accipitur
et ei inde jura legitimae nativitatis tribuantur, speciali innitens fun-
damento, quod ad consequendum legitima opus est nativitate, eaque
ipsa, non vero efficta 56).

56) Idque eatenus procedere existimo, ut in iis quoque terris ubi ex spe-
ciali sanctione natis ex sponsa jura successionis in bona patris aperi-
antur;

untur; nihilominus illi a successione feudali exclusi sunt. Non enim ex generali sanctione „daß sie wie eheliche Kinder zu der Eltern Erb und Verlassenschaft gelangen sollen“ id colligi potest, eos etiam ad successionem in feudo vocatos esse, cum partim talis sanctio generaliter concepta nuncquam ad ea bona extendi possit, quae ad tenenda specialis conditio requiritur, partim etiam principiis Juris feudalis communis tam diu insistendum sit, donec ea speciatim vel Lege investiturae vel jure cuiusdam curiae immutata esse adpareat. SIEGEL in princ. jur. feud. c. L2. §. 5. Dissentient WOLTAER von der Lehns-Folge der Braut-Kinder nach Brandenburgischen Rechten, in ZEPERNICKS Sammlung auserles. Abhandlungen aus dem Lehnu-Recht, T. 3 S. 18. WIESAND de ejus qui ex sponsa natura est succ. in feud. §. X et XI.

§. 15.

DUBITATIONES, QVAE HVIC OBSTARE
VIDENTVR.

Dubium primum, cui respondet.

Jam obvia in procedo adversariis, qui larga manu natis ex sponsa successionem in feudo aperiunt, quamvis eos principia Successionis feudalis fugere nequeant. Potiora tantum eorum argumenta hic perlestrabo, minora libenter praetereo. Litem primo mihi movent illi, qui quidem ad legitimum matrimonium sacerdotalem copulam requirunt, ea vero, ad legitimam nativitatem constituendam opus esse, negant 57). Qui ita sentiunt, ne propriis rationibus refellantur, admodum vereor. Legitimam nativitatem enim sine legitima conjunctione cogitari non posse certissimum est, id quod §. 3. fatis evicimus. Haec vero tunc tantum adesse dicitur si praescripta ei forma servata est, cum id modo legitimum possit dici quod ad Legum

prae-

praescriptum ordinatum est. Cum vero apud Protestantes sine benedictione sacerdotali matrimonium non constituatur, quo nil aliter ac legitima conjunctio subintelligitur, omnes etiam ex conjugione cui benedictio sacerdotalis non accessit nati, illegitimi nascantur necesse est. Lubenter quidem concedo principem benedictionem sacerdotalem tollere aliquam matrimonium contrahere cupientibus formam praescribere posse, ex qua ejus validitas penderet. Sed donec hoc factum non est principio inhaerere puto, sine ea adhibita matrimonium haud valide constitui, nec aliunde legitimam nativitatem posse expectari. Videant itaque quantum errant, qui benedictionem sacerdotalem formae quidem legitimi matrimonii, non vero legitimae nativitatis donant, cum haec sine illo intelligi nequeat. Nati ex sponsa hinc, cum parentes eorum, hunc ritum matrimonium modo constituentem neglexerint, successione feudali careant necesse est.

57) STRV synt. jur. feud. c. IX. th. 3. nr. 13. HORN in jurispr. feud. c. XV. §. 3. STRYCK de success. ab intest. D. I. c. 111. §. XXVII. LEYSER medit. ad D. spec. 298. med. 4. et ex recentioribus Jure-consultis WIESAND. d. c. §. V1.

§. 16.

Dabium secundum, cui itidem respondetur.

Alii alia incidentes via inter *ehelichgebohrne*, et *legitim-gebohrne* distinguunt. Illis, eos, qui ex legitimo matrimonio procederunt, his vero, quibus jura legitimorum a Legibus tribuuntur

D
sub-

subintelligunt. Posterioribus natos ex sponsa accensent, ideoque ad feudalem successionem vocant, cum nil amplius ad eam consequendam a Legibus clientelaribus desideretur 58). Quae quidem objectio quamquam satis acuta, nil tamen in recessu habet. Tangere eam potissimum casum, si Lege quadam provintiali natis ex sponsa jura legitimae nativitatis tribuuntur, in continentि iam perspicitur. Ceterum vero cum nobis etiam officere possit, ut mox illi occurramus necesse est. Redeamus breviter, ut rem quam celeriter absolvamus, ad textum Juris feudalis Longobardici valide celebrem, quem §. 4. pro rei indigentia explicavimus. Hic solummodo matrimonium tamquam basis legitimae nativitatis substruitur, et reliqua omnis conjunctio tamquam illegitima rejicitur, et nati ex ea a successione feudali repelluntur. Iam videamus, adhibitis hisce principiis, quam diu dissentientium argumenta sustineant! Primum casus, ubi in quodam territorio protestantium religionis, nil de natis ex sponsa specialiter caustum est, se nobis offert. Liceat etiam hic ex praxi natis ex sponsa jura legitimae nativitatis tribuantur, nihilominus tamen eos in feudo succedere non posse supra ostendimus, cum inter parentes eorum matrimonium nondum fuerit contractum. Iure enim feudali Longobardico, quod omnino debemus sequi, in successore feudali requiritur, quod ex vero matrimonio natus sit. Illud vero de nato ex sponsa nondum praedicari potest, cum parentibus ejus copula sacerdotalis non accesserit, qua tantum apud Protestantes matrimonium efficitur.

58) WOLTAER I. C. § 17.

§. 17.

§. 17.

Ulterior ejus remotio.

Quid vero si lege provinciali natis ex sponsa omnia indulgentur jura quibus tantum legitimi fruuntur, annis iis tunc etiam successio feudalis patet? Dubium fateor primo intuitu oritur, mox tamen omnibus accurate consideratis evanescens. Licet enim ex lege quadam provinciali liberis e sponsa natis jura legitimorum tribuantur, ex eo tamen non sequitur eos tamquam legitime natos ab ea agnosciri. Haec enim accipere jam sana ratio suadet. Foret enim superfluum iis primum jura tribuere, quibus jam vi nativitatis gaudent. Leges quoque provinciales in favorem natorum ex sponsa latae, quae mihi ad oculos venerunt, assertum nostrum confirmant. Semper enim in iis benedictio sacerdotalis tamquam legitima matrimonii forma agnoscitur, nusquam vero sponsalibus accedens concubitus ipso legitima conjugatione declaratur, neque minus iis legitimam nativitatem effici, constituitur. Sub certa modo restrictione et si copula sacerdotalis, qua matrimonium constituitur, recipi nequeat, matrimonium tamquam rite contractum declarandum, et natum ex sponsa ad successionem in bona patris instar legitimorum admittendum esse, his legibus sancitur. Vis itaque ea conditione natum *legitimbohrnen* appellare, per me licet. Sed nulla exinde vis nascitur, nullumque successionem ejus in feudo defendendi principium, nisi aliunde illud scilicet ex legibus feudalibus provincialibus petas. Tam diu enim obtainere jus feudale commune certissimum est, donec illud vel lege cuiusdam curiae sive investiturae immutatum sit, certo constat. Iure vero communi feudali ut originem e vero matrimonio

repetat successor feudalis, requiritur, illud vero inter parentes nati ex sponsa nondum adfuisse exhibent leges provinciales in ejus favorem latae, cum casus quo matrimonii contractio per copulam sacerdotalem, impeditur, mentionem expressim faciant, coque tantum pro fonte legitimae nativitatis assumto, ne partui praejudicium adferatur, eos juribus legitimorum vestiri jubent. Objici denuo posset, iis tamen, licet legitima non gaudent nativitate jus successionis in bona patris generaliter concessum esse, ad quae etiam feudum pertineat. Sed hocce argumentum jam refellimus §. 14. not. 56) inde que foret inutile ea repetere quae jam ibi satis dicta legis.

§. 18.

BONI REGNI
SIGNATI EX SPONSA NUSPIAM EXPRESSIM
A SUCCESSIONE FEUDALY EXCLVIS
SVNT.

Dubium tertium, cui occurritur.

Dantur adhuc qui successionem nati ex sponsa in feudo, eo defendere audent, quod nullibi eum diserte sive nominatim a successione in feudo a Lege exclusum esse reperiatur, inde etiam iniquum foret eum repellere, quem Lex non repellit 59). Cogitent ii impossibile esse legislatori cunctos exprimere easus, et sufficere si modo generaliter fancivit, ex eaque generali sanctione voluntas ejus colligi possit 60). Jam supra §. 4. comprobatum deditimus, Jure Longobardico omnes, qui extra matrimonium originem habent, a successione feudali removerti. Istud enim accipere genuinus Legis sensus suadet.

Accedit

Accedit huic, quod nati ex sponsa re ipsa legitimatis sint accensendi, eum ex legitima conjunctione non descenderint, nec vi illius iuribus legitime natorum gaudeant, sed iis tantummodo ex subsequenti induantur. Istud vero legitimatum sicut, qui expressis verbis a successione feudali exclusus est.

59) WIESAND d. c. §. VII.

60) L. 12 et 13. D. de LL.

§. 19.

ARGUMENTVM WIESANDII AB AEQUITATE

DESVMTVM.

Sed monet illustr. WIESANDIVS⁶¹⁾ cum se successionem natorum ex sponsa in feudo, aliter defendere non posse, ipse perspiciat, convenire tamen naturali aequitate, ut liberis a personis, quae de ineundo matrimonio convenerunt, spemque concubitu adimplerent, procreatis, successionem in feudo aperiamus. Rationes, quibus Vir egregius innititur, has accipe: insontem partum ob facta parentum non posse puniri, cum delicta tantum suos teneant auctores. Coercendum itaque esse rigorem juris justis limitibus, ne insontibus laesio inferatur.

61) c. d. §. VII.

§. 20.

CVI RESPONDET V.

Sed quod pace Viri doctissimi scriptum sit, nego atque pernengo a naturali aequitate argumentum posse desumi, idque aptum, ad successionem feudalem nato ex sponsa tribuendam, quamvis aliter in favorem

favorem illegitimorum libenter cum eo rigorem legum leniendum esse, accipiam. Cum enim exstincto haerede feudali legitimo jus succedendi in feudo agnatis aperiatur, sive his deficentibus ad dominum feudum revertatur, foret iniquum, jus his quasitum tollere, atque ad natum ex sponsa, vi nativitatis a feudo exclusum, devovere. Nec decet, ut aequitate ducti Legem aspernemur, ab eaque recedamus, monente enim VLFIANO Lex licet dura sit, tamen sequenda est 62).

- 62) L. 12. §. 1. D. qui et a quibus manu. Contraria tamen opinio approbata est in judicio imper. aulico in causa Leiningen-Dachsburg-Günthersblum, contra Leiningen-Hartburg, vide conclus. Jud. Imp. aul. de 15. Febr. 1782. in der allgem. Jurist. Biblioth., herausgegeben von zweyen Altdorffischen Professoren, II. Band 1. Stück p. 215, ubi in extenso legitur. PÜTTER Litteratur des Deutsch. Staats-Rechts, §. 302, not. b. in fine.



161.

vd18

ULB Halle
005 353 157

3



Sb





NATVS EX SPONSA SVCCESSIONIS IN FEVDO EXPRS.

DISSESSATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,

Q.V.A.M

CONSENSV ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM
ORDINIS,

PRAE SIDE

IOHANNE MATTHIA MARTINI,

I. V. D. ET P. P. O.

SERENISSIMI DVCIS MEGAPOL. A CONSILIIS IVSTITIAE,
ORDINIS IVRIDICI SENIORE,
ET HOC TEMPORE DECANO,

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQUENDIS,

DIE IX. MARTII MDCCCLXXXIX.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSIT,

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPH CHRISTIAN DABELOW,

I. V. C.



BVETZOVII, MDCCCLXXXIX.

